

rat infra quæst. xviii, art. iv, ubi colligens ea, que concurrunt ad actionem moralem bonam dicit, quod in actione humana, bonitas quadruplex considerari potest. Una quidem secundum genus, quia quantum habet de actione, et entitate, tantum habet de bonitate, ut dictum est. Alia vero secundum speciem, quæ accipitur secundum objectum conveniens. Tertia, secundum circumstantias, quasi secundum accidentia quædam. Quarta autem secundum finem, quasi secundum habitudinem ad bonitatis causam. Ex his quatuor ingredientibus, seu concurrentibus ad bonitatem in actu, prima vocatur a D. Thoma secundum genus, non quia entitas, seu substantia actus genus logicum sit, sed genus, quasi physicum, seu subjectivum, eo modo quo subjectum dicitur loco generis esse, in artificialibus, et compositis accidentalibus: quia se habet subjectum, quasi quoddam potentiale, et receptivum formarum, non ut prædicatum contrahibile. Secunda vocatur secundum speciem, non solum secundum speciem infimam, sed etiam sub alteram, quia secundum genus morale, et hoc sumitur secundum objectum conveniens, hoc est, conforme aut regulabile per rationem. Tertia pertinet ad circumstantias accidentaliter se habentes ad speciem moralem. Quarta secundum finem, qui est principalissima circumstantia, quia causat, seu motivat bonitatem.

LXIV. Inter has species, quæ pertinet ad entitatem, seu substantiam actus, est in diversa linea et ordine, quam illa quæ est in genere morali: sicut lignum, aliam speciem habet in genere ligni, seu entis naturalis, quam in genere artificiali, sicut est cathedra, vel scamnum. Et proprie non sunt comparabiles. Sed tamen species substantiæ, seu

entitatis rei, simpliciter et in esse entis, semper est principalior, quam species accidentalis, quæ supervenit ei, præsertim quando entitas ipsa vere est substantia, ut lignum respectu formæ artificiosæ. Sed in actibus moralibus, ipsa etiam substantia, et entitas actus, quoddam accidens est, nempe actus ipse internus, vel externus; moralitas vero ipsa, accidens etiam est. Et quidem in opinione, quæ ponit moralitatem esse denominationem extrinsecam supervenientem actui, manifestum est, speciem moralitatis esse minus principalem, quam speciem naturalis entitatis. In opinione vero, quod est realis respectus ad objectum regulabile regulis rationis, supponens necessario libertatem, videtur aliquid perfectius in actibus bonis, et virtuosis, quia superaddit ad perfectionem naturalem, eamque consummat, et perficit, et alias non est relatio pure prædicamentalis, sic enim esset inferior entitate actus, qui est qualitas; sed est respectus transcendentalis, entitative identificatus cum actu, quia erga objectum est, ut regulabile. In actibus autem vitiosis, aliquid imperfectius est, propter defectum annexum. Unde actus quatenus liberi, et virtuosius, perfectiores et nobiliores sunt, actibus necessariis ejusdem potentie. Inter ipsas vero morales species, illa est perfectior, quæ sumitur ex nobiliori objecto; et ita species, quæ sumitur a fine semper est perfectior illa, quæ sumitur ab his, quæ sunt ad finem; unde tamen quam aliquid superius imperat illis, et perficiuntur media ex participatione ad finem, sicut lumen inferius in intellectu roboratur ex participatione, et conjunctione ad lumen superius. Sed de his latius agendum est infra quæstione xviii, circa art. iv et vi et vii, et q. lxvi, ubi igitur de æqualitate virtutum.

ARTICULUS IV.

Utrum detur finis intermedius, an omnis finis sit ultimus?

Admisimus supra articulo primo, inter alias divisiones finis, quod alius est finis ultimus, alius proximus, seu intermedius; eamque divisionem Aristotelis, et D. Thomæ esse diximus, in locis ibi allegatis. Plures auctores illam admittentes adducit Ægidius a Præsentatione, lib. i de fine in communi, quæstione tertia, articulo unico, estque valde communis inter theologos, et philosophos.

I. Nihilominus in hac re dissentit a reliquis p. Vasquez, et tum in hac prima secundæ, disp. iv, c. i, tum i p. disp. lxxxii, c. ii, contendit, proprie nullum dari finem intermedium, sed omnem finem, si vere finis sit et causalitatem finalem exerceat, esse ultimum; vel simpliciter respectu omnium actionum operantis, vel in aliqua serie, et ordine determinato, in quo sistit aliqua actio, vel ars. Nec negat Vasquez, posse id quod est medium, et gratia alterius appetitur, etiam habere aliquam bonitatem propriam, ratione cujus appeti possit propter se, et ut finis: sed dicit, quod in ea serie et ordine, in quo appetitur gratia alterius, seu ordinate ad alium finem, non appetitur ut finis, sed ut medium. Quod si ut finis appetitur, et ratione bonitatis propriæ, hoc ipso ab illa serie, et linea extrahitur, poniturque in alia, in qua finis erit, sed non intermedius, sed pro illa serie ultimus. Fundatur in auctoritatibus quibusdam Aristotelis, et rationibus, quas solvendo referemus.

II. Indubitata tamen sententia Aristotelis, et D. Thomæ est, dari fi-

nem intermedium, qui subordinetur ultimo, et vere finis sit sive simpliciter, sive in aliqua determinata linea, et serie. Ex Aristotele citantur tria præcipua loca. Primus est secundo physicorum, textu xxix; item v met. textu ii; denique i ethicorum, textu xxiii. Verba prioris loci varias habent versiones, ideoque ad varias interpretationes declinant. Quidam sic legunt apud D. Thomam citato loco ii physicorum, lect. v, secundum antiquam translationem: « Adhuc autem, quemadmodum finis. Hoc autem est, quod cujus causa, ut ambulandi sanitas; propter enim quid ambulat? Dicimus, ut sanetur: et dicentes sic, opinamur assignare causam. Et quæcumque jam movente alio intermedia sunt finis, ut sanitatis, macies, aut purgatio, aut potiones, aut organa, omnia enim hæc, finis gratia. » Hanc translationem secutus D. Thomas quia antiqua erat, exponit ibidem lect. v Aristotelem sic: « Quod dixerit intermedia omnia, quæ sunt inter primum movens, et ultimum finem, omnia sunt quodammodo fines: » et infra: « Et hoc inducit, ne aliquis credat, quod solum id quod ultimum sit causa, sicut cujus gratia, propter hoc quod hoc nomen finis, ultimum quoddam esse videtur. Est igitur omnis finis ultimus, sed non simpliciter, sed respectu alicujus. » Ita D. Thomas in Aristotelis expositione. Scio textum istum aliter verti, et in Argyropoli versione sic haberi illa verba: « Et quæcumque alto movente inter ipsum, et finem fiunt, ut inter medicum, sanitatem, macies, aut purgatio, aut instrumenta, universa enim hic, ipsius finis gratia sunt. » Non meminit autem Argyropolus illorum verborum, quod intermedia finis sunt. Sed, et juxta antiquam translationem, quam commentatus est D. Thomas, intelligit Vasquez illa verba,

scilicet, intermedia finis sunt, non esse sensum, quod media sunt etiam fines, quasi *ly finis* sumatur in nominativo, sed quod sunt finis, id est, ad finem, quasi in genitivo. Cui subscribit Ægidius supra relatus, eo quod in Græco sic habetur, *ly finis τὸ τέλος*, et sic non potest construi in nominativo. Eodem prorsus modo, et eisdem verbis loquitur Aristoteles in v met. textu II, ubi antiqua translatio, quam secutus est D. Thomas dicit: « Et quæcumque movente alio sunt infra finem, ut attenuatio, aut purgatio, aut pharmacia, aut organa. Hæc namque omnia finis causa fiunt. » Et fere eodem modo loquitur translatio Bessarionis. Cum autem in istis verbis non dicat Aristoteles, quod inter media sunt fines, sed quod illa omnia finis causa fiunt, sicut in loco citato ex secundo physicorum dicit translatio Argyropoli, nihilominus S. Thomas in lectione secunda super quintum metaphysicorum intelligit Aristotelem voluisse, quod inter media vere sint fines, et non solum alicujus finis; dicit enim sic: « Non solum autem ultimum propter quod efficiens operatur, dicitur finis respectu præcedentium, sed etiam omnia intermedia, quæ sunt inter primum agens, et ultimum finem, dicuntur finis, respectu præcedentium, et eodem modo dicuntur causa, unde principium motus respectu sequentium, sicut inter medicinam et sanitatem sunt ista media attenuatio, et purgatio, et pharmacia, etc. Hujusmodi etiam omnia sunt propter finem, et tamen unum eorum est finis alterius. »

III. Esse quomodo D. Thomas, sive legatur textus Aristotelis eo modo, quo versio Argyropoli in secundo physicorum, sive ut antiqua translatio in quinto metaph. semper intelligit voluisse Aristotelem, quod intermedia sortiantur rationem finis, et non so-

lum, id quod ultimum est. Et bene hoc intellexit D. Thomas, quia in utroque loco, prius Aristoteles ponit, et affirmat rationem finis habere vim causæ, et optime nos reddere causam cum interrogati propter quid fiat ambulatio, respondemus, propter sanitatem. Deinde vero subdit verba relata: « Et quæcumque alio movente fiunt infra finem, ut attenuatio purgatio, aut pharmacia, etc. Hæc enim finis causa fiunt. » Ubi illa particula copulativa, et quæcumque infra finem fiunt, etc. videtur referri ad præcedentem, qua probabat finem esse causam, quasi etiam infra finem, qui est ultimus, aliqua sint quæ finis rationem retinent, licet propter finem fiant: quia unum est finis alterius, ut attenuatio est finis purgationis, et purgatio finis pharmaciæ, seu medicamenti laxativi, eo quod omnia ista, infra finem sunt, id est, sub ratione finis: quia unum est finis alterius, et subordinatur alteri, non ut medio, sed ut fini proximo. Sive ergo textus Græcus in genitivo legatur, in *ly finis*, sive in nominativo, eadem est interpretatio Aristotelis apud D. Thomam: quia etiam sumendo genitivo *ly finis*, sensus est, quod finis causa fiunt, non quomodocumque, sed tamquam infra finem constituta, et causalitatem finis habentia, ut proxime antecedentia verba in ipso textu declarant, quæ cum istis junguntur.

IV. Clarius exprimit totum hoc textus Aristotelis primo ethicorum, c. VII, textu XXIII, ubi manifeste distinguit finem ultimum, qui est perfectus, et qui per se ipsum appetitur ab illo qui imperfectus est, et qui propter alium appetitur. Verba Aristotelis sunt secundum versionem Argyropoli, a quo neque antiqua versio discrepat, nec translatio altera Feliciani Veneti: « Cum itaque plures

sint fines, et horum quosdam, ob alios expetamus ut divitias, fistulas, instrumentaque, omnino perspicuum est, non omnes fines esse perfectos. At finem optimum, perfectum quid esse constat. Quare si tantum unus perfectus sit finis, is erit, qui quæritur. Sin plures, is, qui horum perfectissimus. Eum autem qui per se est expetibilis perfectiorem eo dicimus esse, qui est propter alium expetendus, et eum qui nunquam ob alium expetitur iis universis, qui per se, et propter illum etiam expetuntur. » Ubi clare Aristoteles illum finem, qui imperfectus est, et ob alium expetitur, absolute finem vocat, et condistinguit contra ultimum finem, qui propter alium non expetitur. Super quem locum D. Thomas lect. IX: « Videntur, inquit, esse plures gradus finium, quorum quosdam eligimus propter aliud solum, sicut divitias, quæ non appetuntur, nisi in quantum sunt utiles ad vitam hominis, et fistulas, quibus canitur, et universaliter omnia organa, quæ non quærentur, nisi propter usum eorum. Unde manifestum est quod omnes isti fines, sunt imperfecti. Optimus autem finis, qui est ultimus, oportet quod sit perfectus. » Igitur manifeste D. Thomas distinguit finem ultimum, et intermedium, atque isti tribuit vere, et proprie rationem finis. Quod etiam pluribus aliis locis præstat, et nominatim videri potest in hac quæstione prima, art. IV ad tertium; infra q. XII, art. III; quæst. XXI, art. I ad secundum; q. LX, art. I ad tertium. In 2-2, q. XXIII, art. VII, et quæst. CXXIII, art. VII, et aliis multis locis.

V. Nec valet responsio Vazquez ad locum istum Aristotelis ex primo ethicorum, quod philosophus admittit dari aliquos fines, qui in alios referantur, non tamen in quantum fines, sed in quantum media, quæ ultimo fini serviunt. Sed non callet

in hac parte Vazquez Aristotelis mentem. Nam aperte Aristoteles, in ipsa ratione finis graduationem facit, dum quosdam fines dicit esse aliis perfectiores, ultimum autem esse omnium perfectissimum. Si ergo illos dicit fines imperfectiores qui ultimi non sunt, sed ad ultimum ordinantur: ergo non solum materialiter, et ut media, sed formaliter, et ut fines, subordinati sunt aliis, et sunt intermedii. Patet consequentia, quia ipsa ratione formalis finis, non omnes æquales sunt, nec æque perfecti, sed inæqualitatem habent: inæqualitas autem in subordinatione consistit unius ad alium, usque ad ultimum: ergo etiam in ratione finis, non omnes sunt ultimi, sed quidam sunt intermedii, nempe subordinati, sicut inter causas efficientes etiam in formali ratione efficiendi, quædam sunt imperfectiores aliis, quia subordinatæ sunt superiori causæ; et sicut dantur causæ efficientes intermedia, seu subordinatæ, ita et finales causæ intermedia dantur.

VI. Et ex hoc sumitur fundamentum hujus resolutionis contra sententiam Vazquez. Nam non solum mediis, quatenus media sunt, sed etiam finibus, convenit aliis perfectioribus subordinari, et tamen ratione sui, seu gratia sui, ab aliis inferioribus appeti: ergo convenit eis, quidquid requiritur ad rationem finis non ultimi, sed intermedii. Consequentia patet, quia finis subordinatus alteri fini, non potest esse ultimus in ea linea, et genere, in quo subordinatus est: ergo si simpliciter, vel in aliquo determinato genere dantur fines, qui in ratione finis, seu appetibilitatis, et bonitatis propriæ, subordinati sint aliis perfectioribus, tales fines non sunt ultimi, sed intermedii, quia non solum in quantum media, sed etiam in quantum fines subordinati sunt

aliis, et ab eis dependentes, ut ab ultimis. Antecedens probatur: tum in finibus secundariis, qui subordinantur primario, non ut media, sed ut fines minus perfecti, et tamquam subordinati fines appetuntur, sicut qui recitat horas, aut præsentiam facit in ecclesia, principaliter quidem propter cultum Dei, sed secundario propter lucrum stipendii, et tamen hæc sustentatio, et hoc stipendium non appetitur ut medium ad cultum, sed ut per se appetibile, et deducendum ex illa recitatione, licet minus principaliter; tum etiam in ipsis mediis, quæ appetuntur, non ut mere utilia, dantia transitum ad finem, sed ut in se, et ratione sui important sufficientem bonitatem supra alia, quæ ordinantur ad se in aliqua serie et ordine, et ut terminent motum, et ordinationem illorum ad se, non tamen, ut simpliciter omnem motum, et ordinationem in illo genere terminent, sed id quod propriæ bonitatis est sufficiens terminare aliquem motum et ordinem, subordinatur, et dependet ab ulteriori bonitate, et in quantum bonum, sic subordinatur. Unde D. Thomas citato loco primi ethicorum, lect. ix, ad hujus explicationem distinguit triplex genus bonorum: « Est enim aliquid, inquit, quod appetitur, non propter aliquam bonitatem formalem in ipso existentem, sed solum in quantum est utile ad aliud, sicut medicina amara. Est autem aliquid quod est appetibile propter aliud, sicut medicina valde sapida. Et hoc est bonum perfectius. Bonum autem perfectissimum quod ita appetitur propter se, quod nunquam appetitur propter aliud. Et in hoc gradu ponit felicitatem, seu habitudinem. » Igitur illud bonum, seu illud appetibile medium, quod in se quidem habet formaliter bonitatem, quæ terminat quidem motum, et ordinem alio-

rum ad se; sed ulterius etiam ipsam bonitatem quam in se habet, subordinat ulteriori bono, seu fini, vere et proprie dicitur finis, et non solum medium, sicut primum bonum. Et hoc ideo, quia bene stat aliquod bonum esse tale, quod sufficiat ratione suæ appetibilitatis terminare alia, et ipsammet bonitatem, qua finalizat, et terminat unum subordinet et subjiciat alteri; et sic non omnia media sunt pure media, id est, præcise transitum præstantia ad finem, sed etiam aliquid habent de fine, seu appetibilitate in se, quam tamen rursus subordinant alteri, et sic non propter se simpliciter appetuntur, sed subordinate, etiam in eo in quo bona sunt; sicut in exemplo de medicina saporosa, quæ non solum appetitur ut medicina, sic enim pure haberet rationem medii, sed etiam ut saporosa, sic enim ratione sui appetitur; sed non taliter ratione sui, quod non etiam ipsam rationem saporis subordinet majori alteri bono, id est, sanitati, quia etiam ad sanitatem conducit sapor, ut facilius assumatur ab ægroto, eique magis invisceretur: et rursus juxta mensuram requisitam ad sanitatem, sumitur et regulatur etiam ut saporosa.

VII. Confirmatur denique totum hoc, exemplo causarum agentium, et principiorum speculabilium in intellectu. Videmus enim, quod causæ agentes, si principales sint, etiam ratione propriæ virtutis, vere influunt, et causant, licet hoc ipsum quod influunt, et causant, ex superiori causa dependeat. Et principia influunt per modum præmissarum in conclusiones, etiamsi prima principia non sint, sed secunda. Ergo etiam fines minus principales, intermedii, qui super se habent superiores, quibus subordinantur, adhuc ut tales, scilicet ut fines medii, et inferiores, finalizabunt, licet subor-

dinate ad alios, et non ultimo. Nec dici potest, finem intermedium, non habere aliam rationem boni, quam proportionari fini; at vero causa efficiens secunda, habet virtutem influxivam, et principium secundum habet veritatem illustrantem conclusionem ex se. Unde potest influere ratione sui, non vero finis intermedium. Contra hoc enim est, quia multoties in ipsis mediis invenitur bonitas propria, et per se appetibilis, et acquirenda per alia media, licet ipsamet ulterius ordinetur ad alium finem; sicut per aliqua media procuratur confectio cibi delicati, et exquisiti, qui per se appetibilis est et ille ulterius, etiam in quantum delicatus, et delectabilis, ordinatur ad sanitatem, vel ad ostentationem, aut aliquem alium finem; et qui intendit lucrum, procurare potest pretiosam, et extraordinariam mercem, quam industria, vel labore, aut aliis mediis acquirit, et ulterius illam etiam, ut pretiosa est, ordinat ad majus lucrum. Igitur etiam intra eandem lineam, et seriem alicujus actionis, vel artis potest aliquid habere rationem finis, propter appetibilitatem propriam, et formaliter sibi convenientem, nec habere puram, et solum rationem medii, seu appetibilitatis alienæ, propter finem; et tamen illam propriam, et formalem bonitatem subordinare alteri ulteriori fini. Quare non solum bonitas participata a fine, et quasi aliena et exterior, appetitur in mediis, sicut in potionem amara, solus ordo ad sanitatem; sed etiam propria bonitas, et appetibilitas rei, subordinatur alteri fini, ut delicatus sapor sanitati, et tunc habet rationem finis intermedii, et non solum puri medii.

VIII. Quod si inquiras, an sit necesse ad hoc ut finis intermedius habeat rationem finis, quod in illo

sistat actio agentis, ita quod solum, respectu præcedentium actionum habeat rationem finis: an sufficiat quod per illum fiat transitus ad ulteriorem finem, etiamsi in illo non sistatur, ut habeat rationem finis intermedii: item an sit necessarium quod præter finem proximum, detur semper alius ultimus; et finis ultimus requirat, quod semper præcedat alius proximus, ad primum respondetur finem intermedium, sub ratione ista finis, debere considerari ut terminum aliquorum, quæ antecedunt ipsum, non tamen ut terminum ultimum simpliciter, sed ultimum respectu aliquorum. Unde talis finis non terminat solum electionem, sed etiam intentionem, quia non se habent ut pure media, in quibus nullo modo sistit actio, propter bonitatem et motivum ipsius rei; sed solum transit per illa ad finem: et ratione finis appetuntur, non vero aliquo modo ratione sui, ita quod habeant in se motivum proprium, ratione cujus appetantur. Et sic solum possunt terminare actum electionis, non vero actum intentionis. Quod e contra accidit, in fine intermedio. Ut enim docet S. Thomas infra quæst. xii, articulo ii, intentio non solum est circa finem ultimum, sed etiam circa intermedium. Additque solutione ad secundum, quod terminus semper habet rationem ultimi finis, sed non semper ultimi, respectu totius, sed quandoque respectu alicujus partis. Quare finis intermedius non habet rationem finis, quatenus per illum sit transitus ad ulteriorem finem, sed quatenus in eo sistit aliqua particularis actio, et consequenter aliqua particularis intentio, respectu cujus habet rationem motivi; sed rursus quia subordinari ulteriori fini, et ille actus qui respicit illum finem, non sistendo in ipso; sed transe-